...ll.

...

1684 die 24 martii.

Sienkiewicz Petri: Viridarium academicum ad amoenas revirescentis veris primitias efflorescens, VV. DD. IX primae laureae Candidatis — dedicatum.

VIRIDARIUM ACADEMICUM,

Ad amœnas reuirescentis veris Primitias
EFFLORESCENS;
VV. DD. IX. Primæ Laureæ
CANDIDATIS,
Dùm
In Alma Vniuersitate Cracouiensi,
PER
Excellentissimum, ac Doctissimum Dominum,

D·M· MARTINUM OSLINSKI,


Philosophiæ Doctorem, ac Professorem, Collegam Minorem,
Contubernij Iageloniani Seniorem,
In frequentissima Nobilissimorum Hospitum, &
Academici Senatûs Corona,
Artium, & Philosophiæ Baccalaurei,
RITV SOLENNI,
RENVNTIARENTVR;
Amoris, & gratulationis ergo,

A
PETRO SIENKIEWIC, eiusdem Laureæ Candidato,
Panegyrico applausu,
DEDICATVM.

Anno Salutis 1684. Die 24. Martij.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Inſigne,
JLLUSTRISSIMI, & REVEREND: PRÆSULIS.



Hoc decus excellens graduum, quos LILIA cingunt,
Auguſtum poſuit, PRÆSULIS axe caput.
Hoc ſolio, virtus niuei puriſſima cordis
Regnat; & innocui ſignat honoris Ebur.
Inde Domus celebris, florebit OBORSCIA terris,
Et niueos, Lechico ducet in Orbe dies.
LILIA ſic ſpondent Tibi PRÆSUL Magne, vouentq;
Vt ſis flos, altæ gemmaq; Sacra mitræ.

IOANNES De OBORY OBORSKI, Capit: Liu: Golembien: &c.
Auditor Eloquentiæ.

JLLVSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. NICOLAO OBORSKI,

DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPO LAODICENSI,
SUFFRAGANEO, SCHOLASTICO, VICARIO
in Spiritualibus, & Officiali Generali Cracouienſi,
DOMINO, & PATRONO AMPLISSIMO.



Vlcherrima vernantis elegantiæ decora, quùm ſoluta brumæ compedibus tellus, viſceribus ſuis eniti præſumit: Diua quoq; literarum Præſes, eximiæ indolis floribus, conſitum Viridarium recludit. ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME ANTISTES. *Clementiùs nimirũ agi cum ſuo partu, quàm cum Floræ delicato fetu, vel inde cõuincit; quòd cùm primi adhuc veris pruinis, Alcinous, Adoniſq; riget; amœnis ipſa primitijs effloreſcat. Quidni enim omnia hîc ex facili vernent? vbi fomentum vitæ, non à Phœbi radijs quæritur; ſed in vernantes Muſarum opes abit, ſolidæ quicquid eruditionis amore, acſi fouentibus hortorũ pignora ignibus, calet. Nempè terræ duntaxat neceſſitas eſt; vt ad tempora debita, & naturæ ordinem aduertat: animorum conditio nullis legibus circumſcribitur; quin ſemper in gratam Orbi pullulet venuſtatem. Hinc profectò, ad amœnas reuireſcentis veris primitias, Academicum quoq; Viridarium effloreſcit: quia innocentibus Palladis manibus excultum, ab interno Studioſarum mentium calore, vernantis fomenta elegantiæ accepit. Quod laureata oſtia ſua, Sacro honori Tuo,* ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE, *tantò libentiùs pandit; quantò niueum* Gentilitij LILII Tui ebur, *innocentiſſimo pectori Tuo concolor, magis; quàm in pretioſis Heſperidum, vel penſilibus Simiramidis hortis, exquiſitam florum, & fructuum æſtimat voluptatem: imò quantò Teipſum ô aui noſtri Antiſtitum flos! ô literarum, & literatorum amor! profundiori cultu veneratur. Intereſt nimirum illius plurimùm; vt à candore* LILII Tui, *tanta decora demiſſiùs poſcat; quibus vtiq; in amœniſſima Tempe, & vernãtes Gratias aſſurgere poſſit. A candore inquam eius* LILII, *cuius illibata ſanctitatis & ſapientiæ niue, Princeps in orbe Lechico, auguſtâ ſummæ virtutis, & ſplendidiſſimi generis maieſtate, Capitulum Cracouienſe, pulcherrimè*

 nitet.

nitet. cuius miro, zeli pro Domino Exercituū, in exēplū posteris Præsulibꝰ iuri odore; Ecclesia Dei perfunditur. cuius Amplißimæ Auctoritatis eò maiori ad omnes demißione, quò sublimiùs eminet & Paterni cordis tantò effusiori euisceratione; quantò plures in Gratiarum suarum coloniam miseros recipit; vt beneficia in illos, ceu manibus effundens lilia plenis, felices reddat; attoniti omnium animi rapiuntur. Est hac scilicet sæculi nostri pertinax de Te, Magne Præsul *confeßio, quod in morem Auiti Lilij Tui, Senatum florum sublimitate suâ excedentis, prono nihilominus collo, inclinati ad omnes: Tu quoq; excelso virtutum omnium gradu & genere, quemadmodum omnibus antecellis; in omnes ita Iros, ac orphanorum turbas, fauentem pupillam intendas. Nec maior vtiq; medelæ vsus, oleo, vnguentoq; Lilij habetur; quàm Tui pectoris charitate proximi liquescentis, Gratia inter omnes prædicatur. Vilescit equidem laudatißimum in Antiochia & Phaselide Lilium, vbi Tuum tantis dotibus insigne, in comparationem venit. Quidquid enim in Sacro Cœtu piū, quicquid in Basilicis, & Aris sanctum, quicquid in tota Diœcesi, sex propè lustris, Pontificali honore Tuo illustrata, in exemplum positum; totum illibati Lilij Tui, spirat odorem. Iam verò immensus in Ecclesia Dei labor & vis animi Tui, quò maioribus curis exercitus, eò eminentior, nonne Te Atlantem; cui infractis humeris Diuina moles incumbit; imò Gentilitiâ, firmiorem esse* CO-LVMNAM *declarat? Loquitur id altiùs ore humano, sacrū Tribunal Tuū, tot responsis Diuæ Themidis clarum. Loquuntur tot super uita, & miraculis Diuorū, maximis curis formati Processus. Loquuntur omnes publici Actus, fulgore Amplitudinis Tuæ, decorati. Loquūtur alia magna sacri Herois gesta, cum quibꝰ modestiæ studio, scenam in Orbe non ambis; vt amplius in cælo theatrū habeāt. Loquitur & Pallas Iagelonica, ceu tenerrimè à Te semper dilecta; ita fortiter propugnata: purißimamq; Lilij Tui niuem, tantò profundiùs veneratur; quātò magis ad cādorē Academicū accedētē aduertit. Meritò proinde,* Illustrissime, & Reūdiss: Antistes, *cui sinum amoris aperis, illa quoq; viridarij sui, ostia Tibi pandit; vt nimirum, tot, & tantis negotijs pectus Tuum fatigatū, amœnitate suâ oblectet: omenq; faciat; quemadmodum Floræ opes in dies nascuntur, Tuam quoq; venerandi senij ætatem, superûm fauore, ad nostra vota, in dies vegetandam. Ingredere illud animo, quo minima etiam tàm dignaris; quàm maximis quibusq; emines. Agit Ianitricē Alumna Tua Musa mea quæ cum laureati honoris decore, vitam quoq; Tuis beneficijs debet. Primitias ergò sui laboris, non tàm Diuino præscripto, quàm obærati pectoris debito,* Tibi Magne Antistes *offert, cum ad lilia Tua, repentes viridarij Academici flosculos, præsentat. Quibus in herba existentibus vbi locus & gratia, inter Lilia Tua dabitur, præstantioribus deinceps, maturioris profectus calatis, fontem Gratiarū, in se pleno alueo dimanantem, coronabit. Modò verò ante Diuinæ Maiestatis prostrata solium, vota nuncupat; vt in Te Amplißimis in Ecclesia Dei meritis, ceu aceruum Lilijs vallatum; cæli fauentes, omnigenæ felicitatis, Liligeros iaculentur imbres: vt Ecclesiæ, Patriæ ac Vniuersitati nostræ, diu, ac feliciter vernans, tot Superûm gratias, & annos computes:*

Lilia quot, gratæ numerant Viridaria Floræ.

Ita vouet. & precatur:

JLLUSTRISSIMÆ, & REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ,

Cliens, & Seruus Humillimus,

PETRVS SIENKIEWICZ, Primæ Laureæ Candidatus.

D. IOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ & Vniuersitatis Cracou: PATRONO,

Lilium ex amœnissimo Academiæ Viridario, ad Sacros eius Cineres Oblatum.

CVM LEMMATE

Pascitur inter Lilia.



Candido veris Tibi Lilieto,
Noster ô CANTI, niuei tributum
Floris, ad Sacros Cineres profundo
Defero cultu.
Floridis quidquid parit Hybla Campis,
Quidquid in Daphnæs tulit hortus ora,
Aût fauens Musis Heliconis vnda,
Gratius ipso
Vere, si quid fert, rigat atque lassos
Sole ferventi refragrans Hymettos;
In Tuo CANTI latet Academo
Omnigenus flos:
Quem fouet suaui Iagelona Pallas
Fonte, Pæstani iuga montis Alma
Vincis, ac puro Phaëtonte fulges
Clariùs Orbi.
Ex Tuo CANTI, legit Orbis horto
Atticos flores; Sacra thura Musæ
Sarmatis fragrant, & olet Iuuentæ
Dogma Lecheæ.
Quidquid Augustus dedit eruditæ
Splendor Europæ, Iageloque Magnus
Quidquid ad nostras retulit Camænas,
Atque Lycea:
Inter hoc totum, viret æuiternum
Fama per sæclum, decus, atq; splendor,
Fulget in terris, super Astra scandit
Gloria CANTI.

Dùm Tuos inter resonamus hortos;
In quibus sacro modulatur ore
Musa: natiuam Pater Alme Pubem
Allicis ad te.

Nostra dùm Laurus viret in Coronas;
Ex Tuo multùm retulit vireto,
Et Tuâ vernat probitate, prima
Laurea nostra.

Diue, cûi fastûs Getici triumphans,
Nuper affixit spolium IOANNES,
Lechici Regni Columen, precamur,
Esto Patrone.

Quos dedit nobis Tua Laureatos
Dextra splendores, studio virentes:
Hos Tibi cunctos iterùm sub Alma
Ponimus ara.

Clarißimis, & Excellentißimis Dominis,

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarißimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. PETRO PRACZLEWICZ,

Collegæ Maiori, Regio, & Cursûs Vladislauiani Professori, Canonico S. ANNÆ, Ac interea Philosophicæ Facultatis Decano.

Clarißimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. RAPHAELI CASIMIRO ARTENSKI,

Collegæ Maiori, Regio, & Tyliciano Eloquentiæ Professori, Scholastico S. ANNÆ.

Clarißimo & Excellentißimo Domino,

D. M. IOANNI STANISLAO BALICKI,

Philosophiæ Doctori, ac Professori, Collegæ Minori.

In signum debitæ Venerationis,

Cyclaminum in vepribus nascens, cuius flos in Coronas admittitur.

CUM LEMMATE

Vos ambit vasta Corona.

Arbitra

ARbitra mentis Pallas, eburneæ,
Doctâ ferendum pondus, in Indole
Quærens, potenti cum Gradiuo,
Alcinois rediens ab oris;
Omnes Sarißis terruit exteros,
Et tota Regni flumina Nerei
Calcare visa est. Docta tandem
Musa suo cumulata fetu.
En inquit adsum: quid cupis Indoli
Præstare nostræ? Pallas ait: viros
Mirata; qui virtute claram
Promoueant studiis Iuuentam.
Finiuit alti iudicii Dea:
Et iam Catones constituit graues,
Dignos, fauentes, atq; doctos
Dotibus eximiis valentes.
Vos clara pro tunc arbitria Indolis,
Nostriq; grandes ingenii faces,
Et fulcra Regni Iagelonis,
Sidere fata tulêre nobis;
Quêis vos redonent Carmina gratiis
Ignoro prorsùs: semper habet tamen
Affectus auram præpotentem,
Quæ flat ab ore viri benigno,
Et corda saxis accipientium
Donata pulsat. Te priùs Arbitrum,
Cûi purpuratus splendor inde,
Atq; decus micat, æuiternis
Per ora Musis, dulcia PRACLEWICZ,
Canunt sonoro barbita carmine:
Nam me citauit Diua Pallas,
Pieridumq; cohors sacrata;
Quæ te coronat purpureâ togâ,
Tuiq; Doctas viribus ingenî
Ornat Cathedras, dùm Sophorum
Stoa tibi patet erudita.
In te Stagyræ maxima dignitas,
Et disputantûm gloria publico
Fulget Theatro. Te Parentem
Docta colit numerosa proles.

Te gra-

Te grata nobis Suada Tylicia,
Metro celebrans, (qui superemines)
Sublimis ARTENSKI, *flagyræ*
E superis tulit ac Olympo,
Effudit in Te Suada Demosthenis,
Dulcore quidquid condidit Attico
Parnassus, & Musæ virentes
Dulce tibi cecinère carmen.

Te Tulliano vertice Porticus
Lechæa laudet, Digne Vir Entheo,
Votis Iuuentus laudibusque
Tyliciana ferat per Orbem.

Nec te BALICKI, *Musa minoribus*
Ornat trophæis, mens tua serios
Amat Sophorum per labores,
Ingenij meruisse palmam.

Togata poscunt Te sibi pulpita;
Quæ sat diserto nectare sideras
Doctæ Iuuentæ, Laureatas,
Dùm licuit redimire frontes;

Extollet altis semper honoribus;
Et ecce nunc iam promouet altiùs
Virtus benignum; quæ virendo
Prodiit in calatus rubentes.

O eruditi viuite Nestores,
Qui nos beâstis munere Palladis,
Floremq; vernantis Iuuentæ,
Purpurei decorâsse Veris,

Iussistis alto germine; sic virent
Nostræ Coronæ, sic decus aureum,
Ferunt in orbe literato
Perpetuos geminantq; plausus.

Augusta saxis nomina Carpathi,
Inscribat extunc Musa perennibus,
Pro laude, quam nobis dedistis,
Mille ferant superi Coronas.

VIRI-

VIRIDARIVM ACADEMICVM,

ad amœnas reuirescentis veris primitias Efflorescens.

I. V.D. GEORGIO IANVSZOWIC,

Gentilitium Stemma, Fasciculus aristarum laureis eruditis onustus.

CUM LEMMATE:

Messem tibi spondet arista.

DIuus Apollo Tibi, Cracijs qui regnat Athenis,
Sarmaticisq; plagis; IANVSZOWIC nobilis ortu,
Ex campo Regis crescentes donat aristas;
Quas Magnus Princeps dignâ virtute sacrauit,
Ac illas studiis docuit florere Iuuentæ.
Quòd primate loco virtus Generosa locauit
Te nostrum, Pallasque Ducem, probitate decorum,
Hoc tua Nobilitas meruit. virtusque Paterna,
Et studium sublime tuum pietate coruscans.
Quotquot habet gratas Lechæus Apollo Camœnas,
Quas resonante Lyrâ dotes habet Orpheus almas,
Aût quot fulmineo doctus gerit ore Pericles;
Hoc in Te posuit totum, Sacra Cracia Musa:
Si velles plectris resonare canentibus Orbi,
Thracia non meliùs potuit testudo sonare.
Si Iuuenis Suadâ Populo Generose, perores;
Ore grauis Tibi par Romano Tullius Orbe.
Argumenta Sophus tibi si proponat acutus;
Discuties, soluesque viros animosus ad omnes.
Palladias opto scandas cum laude Cathedras,
Et grandes vtinam Phœbi merearis honores.
Vt Sacrare queas insigni stemmate claram,
Et virtute Domum; clarissima quando relucent
Sanguinis hîc exempla tui, cum messe beata;
Fertilis hoc etenim nobis tua spondet arista.

II. V. D. SEBASTIANO GDOWSKI,

Flos Heliotropicus, cælum aspiciens.

CUM LEMMATE:

Semper culmina scande.

B

Te quibus

TE quibus donis cumulabo digne,
Aut quid ad doctas referam Camœnas,
Dum tot augustis renites Coronis,
Inclyte GDOWSKI.
Indoles præstans tua, mente fulget,
Altiùs tendit super Orbe vasto,
Dotibus summis decorata, teq;
Musa sacrauit.
Est triumphalis Peripatus in te;
Atque formauit decus; vt Stagyræ
Apta pacati, placidique moris
Corda virerent.
Atticus dulcor placet eruditi
Nectaris, gratæ Latiæque Suadæ,
Omnibus spiras animosus arctos
Ferre labores.
Pulchra iam virtus tua pollicetur,
Aureos fructus; celebris Iuuentus,
Cuius excelsæ peracerba mentis
Otia vitas.
Scande supremam Generosus augem;
Solis in te flos micat eruditi;
Hoc tuo, Laurus peritura nunquàm,
Spondet honori.

III. V.D. IOANNI ADAMOWSKI,

Polion, Inclytum Musæi & Hesiodi laudibus, dignitatem comparans.

CUM LEMMATE:

Tu surges virtute altiùs.

ASsurge felix, dotibus occupa
Sedes vetustas Palladis Inclytæ,
Excelsus, Almum cultioris
Promereare decus Mineruæ.
Culmen IOANNES scandis in arduum,
Frondemq; Laurûs Palladiæ capis,
Et pulchra virtus te coronat,
Gloria consequiturque doctum.
Hæc illa vis est ingenij tui;
Sensus resoluis; quo Peripateos;
Orisque non cessas diserti,
Mellifluos reserare fontes.
Florente tandem percipias manu,
Laurum togatam; quam grauioribus
Curis Stagyræ comparâsti,
Hæc tibi sit decus æuitenum.

Te clara virtus, promoueat virum
Honore summo; te Polion velut
In flore seruet, & supremas
Te faciat meruisse Laurus.

IV. V.D. BARTHOLOMÆO SKOWRONSKI,

Rosa Alabandica, albicantibus foliis, pluribus vtilissima.

CUM LEMMATE:

Ore Rosas loqueris.

NEmo magìs Princeps alio candescit honore,
Vt Virtutis honoribus.
Nulla mâgis virtus in magnos crescit aceruos,
Quàm quæ fert sapientiam.
In te SKOWRONSKI, *crescunt virtutis honores,*
Quos lux docta dedit tibi.
Nam tua Musa, Chelysemper modulatur amœna,
Nec non Pindarico metro.
Quæ magìs, atque magìs doctos comita a Poëtas,
Cunctis excitat Enthea.
Cultum animi dicamnè tui, qui Nobilis Orbe est,
Semper prima tenet loca.
Hoc tu, præstantes animi cum Pallade dotes,
Et vim mentis Eburneam
Declaras; quoties cultissima dogmata poscunt,
Et lux plena scientiæ.
Insuper, & Cathedris facundum Rhetora præstas,
Fundens flumina Tullii.
Crede, tibi semper florebit Laurea Phœbi,
Et magnum faciet virum.
Nam suaui ore rosas loqueris, sic florida semper
Vernabit tibi gratia.

V. V.D ALBERTO MACHAROWICZ,

Cyrenis odoratissima, vnguento celebris, cæli temperiem referens,

CUM LEMMATE:

Sic virtutis odor.

QVid dicam de Te, vel quâ decorabo Coronâ,
Virtutis Lauru munera digna tuæ?
Florescis clarè, clarorum floscule florum,
Cui sapiens floret, cum probitate decus.

In tua me cupidum rapiunt encomia Musæ;
Nam virtus stimulos, dulceque Nomen habet.
Excelsos apices MACHAROWICZ scandis honorum;
Quem meritâ Lauru, contegit Alma Parens.
Fertile pectus habes; nam dotibus vndique magnis,
Claret Apollinei fertilitate boni.
Laudibus eloquij, suaui cum nectare certas;
Doctrinæ Hyblæos fundis vbique fauos.
Tu flores loqueris; tu lilia candida spargis,
Et Suadæ gustas, ore libente dapes.
Vt Cyrenis sapiat tua mens, & florida Musa;
Nam virtutis odor, fragrat vbique tuæ.

VI. V.D. FRANCISCO BORKOWIC,

Helennium Indicum, radiantibus foliis coruscans.

CUM LEMMATE:

Orientem veneratur solem.

Dotibus eximiis clares, fructusque togatos,
Parnaso celebri, BORKOWIC carpis ab almo;
Et tibi, decerptam Lauro mea Musa coronam
Offert pergratè, cingens tua tempora, Sacrâ
Arbore Apollineâ. nam doctâ mente resoluis
Difficiles nodos, ac alta cacumina prensas.
Eloquii dulcis tibi fons emanat ab ore.
Cliuosum virtutis iter, plenumque laboris
Ingressus studium, mox & maiore calescis
Flammâ; perpetuum, Sacræ te Palladis aræ,
Spesque tuas omnes, atque arduâ vota dicâsti.
Hinc decoratus eris Phœbi vernante Coronâ,
Et tua per celebres Cathedras doctrina vigebit.
Vnde tuo capiti Laurus defertur amœna,
Quæ exortos, semper radios Phaëtontis adorat.

VII. V.D. CHRYSOSTHOMO RVCIENSKI,

Heliocrysos flos auro similis, qvo Principes coronari cupiunt.

CUM LEMMATE:

Et calamo, & aureus ore.

PRocedis fausto pede, mente cacumina tangens,
Virtutis Lauru condecorate sacrâ.
Quo metro celebrem, vel quo te munere donem?
Jngenio cùm sis ipse Corona Tibi.
Flores, atque vires cultu vernantis Hymetti,
Vt Musæ dulcis Suada, metrique Lyra.

Æquas Laurigeri resonantia Culmina Pindi,
Amphion in Citharis, Orpheus inque Lyra.
Parnassi toties in Sacro vertice certas,
Eumonium quoties, tu Venusine canis.
Accurras citiùs, portu Victurus Arion,
Pegaseos fontes, Castaliosque bibens.
Prætereo niueum, Sacrâ dulcedine pectus
Repletum; decorat quod pietatis amor.
Pandis Aristotelis mentem, Generose RVCINSKI;
Aurifluoque tibi, Tullius ore micat.
Fac valeas calamo, & sis aureus ore diserto,
Aurea Doctoris nomina, quando refers.

VIII. V.D. ALBERTO ŁYTKOWIC,

Nyctegretum, foliis spinæ, à terra se non attollens; quo Magi, Parthorumq́; Reges, ad vota suscipienda vtebantur.

CUM LEMMATE:

In minimo, maxima virtus.

Felix possideas, culmen Apollinis,
Præclarum genii decus.
Dignum te faciet Laurea LYTKOWIC,
Vt Phœbo vireas Sacer.
Vt mentem studiis tu melioribus
Ornes; optima præmia
Prensans, mellifluum colligis Entheum;
Qui fructus dabit aureos.
In te flexanimi copia nectaris,
Dulcores facit Atticos.
In te Socratici Vincula pectoris,
Soluit vis sapientiæ.
Tu candore nites mentis Eburneæ,
Sublimi ingenio valens.
Ergò flore tuo sit tibi maximum,
Quod fers in minimo decus.

IX. V. D. SEBASTIANO SADRZYNSKI,

Viola alba, florum prima ver nuntiantium.

CUM LEMMATE:

Et tibi fausta feret.

TV volucri virtute volas, fastigia Musæ
SZADRZYNSKI tangens, docte vir atque grauis.

C Penniger

Penniger ad Laurus, Pindique per ardua tendis,
Polles ingenio dexter vbique tuo.
Postquam sustinuit, Iuuenis tua Musa labores,
Te meritò vatum dulce coronat Ebur.
Iliades reseras clausas, subtilis Homeri,
Atque ornas studio rostra togata tuo.
Quando suauè fluit, iucunda Demosthenis vnda,
Flumen nectareo manat ab ore tuo.
Pectore delicium, cùm cernat Sacra Mathesis,
Euclidis tibi mens, Archimedisque placet.
Tramite contendas fausto, potiore decorus
Lauru, quâ nobis emolumenta feres.
Sis albæ violæ flos candidus, vndique vernans;
Hic tibi flos, vitæ candida sæcla dabit.

VI. V.D. PETRO SIENKIEWICZ,
Primæ Laureæ Candidato,
Auctori Operis,
ALBERTUS MACHAROWICZ,
Eiusdem Laureæ Candidatus,
In vim fraterni amoris, & gratulationis, offert, & dedicat,
Fasciculum, ex vario vernantium florum genere.

CUM LEMMATE:
Ingenio, Musisque flores.

EN nostra plaudens, Musa Tibi quoque
Assurgit; & mox pergit ad intimi
Soluenda candoris tributa,
Quòd fuerit decorata ritè
A Te; venusto carmine SIENKIEWICZ,
Qui nos adornas laudibus inclytis,
Florumque dignaris virore,
Eumoniis resonando plectris.
Te Flora vernis cingat honoribus,
Te nôrit Hyblæ purpureum decus
Ferens Adonis, qui triumphas,
Dotibus Alcinoi decorus.
Rosis in horto pulchrior omnibus,
Et cuncta vincis candida lilia.
Fulgore mentis; cùm virenti
Ingenio, calamoque flores.
Regnat venustas eloquii tui,
Et dulcis in Te copia nectaris,
Seû rostra Te poscunt diserta,
Dogmata seû Stagyræ resoluis:

Vtrinq.

Vtrinque magnis plenus honoribus,
Suadamque dulcem, & Castalidum Deas,
Sacræque doctrinam Mathesis,
Ingenio capis eleganti.
Diu perennes delicium Lyræ,
Amorq; Suadæ; viue diu precor;
Hortusque, quem nobis dicâsti;
Mille Tibi faueat Coronis.

I. V.D. GEORGIO IANVSZOWIC,
Primæ Laureæ Candidato,
in vim sinceri affectus, & gratulatorii applausus offert,
BARTHOLOMÆUS CASIMIRUS SKOWRONSKI,
eiusdem Laureæ Candidatus.
Acervum tritici Vallatum liliis.

CUM LEMMATE:
Virtutum candida messis.

COntinuo versare graues sub pectore curas,
Anxia res homini est; atque molesta nimis.
Nullus enim affectat sic curis acribus angi,
Vulturis vnguibus vt, pressus erat Tityus.
Solus es enixus Tu, contra docte Georgi,
Cui placuit, Triuiæ cura togata Deæ.
Qui licet eximiæ esses laudis diues, & Vber,
Emeritum Tibi, quam stemma Parris tulerat.
Nobile stemma Patris, Tibi quod virtutis auitæ
Insignem stimulum, dulceque dogma dedit.
Tu tamen, inde tibi laudem nullam esse putabas;
Ni virtute Tuâ, & parta labore foret.
Sic citò virtutem exerces, quam marmora nunquam
Condunt, condere cùm nulla sepulchra queant.
Namque viget semper, dum tellus stabit, & vnda,
Et surgent, nitidis sidera celsa polis.
Sic in continuos studiorum sæpe labores,
Tendis, Palladiis inuigilans studiis,
Victrici Genitor præcinxit tempora lauro,
Ingressus campum Martis, & artis erat.
Tu præstans Iuuenis, cùm primis cultor ab annis,
Palladii campum, Numinis ingrederis.
Dotibus ingenii polles, tùm & voce venusta,
Arguto promis verba diserta, sono.
Inde Tibi crescit nomen, laudisque corolla
Aurea; quæ tenerum tollit in astra caput.
Sic igitur colles Musarum vade per altos,
I, propera, ac animo ne cade, magnus eris.
Non canit assueta cygnus vocalis in vnda,
Ni Zephyri spiret mollior aura sibi.

Inclyta proposito sapientia crescit honore,
Speratoque alitur docta Minerua lucro;
Splendida sicque tuum circumstat fama laborem,
Virtutique facit gloria se comitem.
Tramite sic igitur virtutum perge beato;
Si verè ornari laudis honore cupis
Perge,lubensque tui claros Patrui elige mores,
Nulli qui discens arte secundus erat.
In quo est & morum grauitas, & gratia doctæ
Mentis, & eximius relligionis amor.
Maxima cûi Cœli moderator præmia donet,
Quod mihi det sacra, munera larga manu.
Sic igitur Phœbi Parnassia culmina scande,
Artibus vt diues, sis animoque grauis,
Virgula Cecropiæ quondam sacrata Mineruæ,
Fertur Amalthæo plura dedisse sinu;
Eius enim optatis succedunt omnia votis,
Cuius in eximium se dabit illa decus.
Tempore Palladias longo,qui comparat artes,
Haurit & Aonii pocula sacra iugi;
Huic nil deêsse potest, hunc pleno copia cornu,
Imperat Attalica conditione frui.
Hæc Tibi Palladiæ veniet cum munere laurus,
Cùm Tuus ornatur nobilitatis honos.
Sic tandem Musas habeas Tibi vbique fauentes,
Præcingant caput vt, laurea serta tuum.
Vere nouo, vt tellus nectit de fronde coronas,
Æstate, vt capitis spicea serta gerit:
Vt grauis Autumnus, maturat in arbore poma,
Iris, vt ymbrifero sæpe colore micat,
Aurora, vt gemmis, diues Pactolus arenis,
Sideribus Cœlum, carminibusque Maro:
Sic Tibi, (nam liceat pulchris componere pulchra)
Ex vario cingat flore corona caput.
Sic Tua Erythræis splendescat Musa lapillis,
Sic tuus aurifluo currat ab amne liquor.
Et cùm terra ferax primæuo flore redundat,
Atque redit veris gratia non solita;
Carcere cùm frenat captiuos Æolus Euros,
Festiuo tantùm lusitet vt Zephyro.
Et mane astrorum dum cogit Lucifer agmen,
Et cùm syluarum iam reuirescet honos;
Tu quoque suscipias obsecro gratus aceruum
Triticeum, circum quem noua lilia stant;
Hûic maniplum coniunge tuum, quem stemmate defers,
Quem præclara tui vita patris legerat.
Iunge tuum maniplum, studiis sis, arteque diues,
Mente senex; animus, vitaque lilia sint.

Permissu Magnifici Domini,
RECTORIS.